

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

XVII ineunte saeculo a Christi Ecclesia in libertatem vindicata.
Constantini ac Licinii Augustorum edictum de Christi Ecclesiae libertate.
De Cruce Christi triumphante. Carmen saeculare.
De Bello.
Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXII.
Fridericus Ozanam.
De pilari ludo, qui vulgo appellatur «Golf».
Acta Pontificia. SSmi. Dni. Nostrri Pii PP. X Litterae Apostolicae, quibus, in memoriam pacis a Constantino Magno Imperatore Christi Ecclesiae datae, Universale Jubilaeum indicitur.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione S. Officii (Sect. de Indulgentiis). — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores.
Annales. Balkanicum disserimen.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Sociis et lectoribus monitum.
Appendix: Ad Romam.

XVII INEUNTE SAECULO A CHRISTI ECCLESIA PER CONSTANTINI MAGNI EDICTUM IN LIBERTATEM VINDICATA

CONSTANTINE EXSULTA, EXSULTET MAXIMA ROMA
 NON TELIS, GLADIIS, TE DOMUISSE DUCEM,
 PECTORE QUI TUMIDUS FATALE INDICERE BELLUM
 IN COETUM EXARSIT, CHRISTIADUMQUE FIDEM;
 SED VIRTUTE CRUCIS, QUAE VISA EST FULGIDA CAELO,
 ATQUE TUAS ACIES PRAESIDIO TEGERE.
 NON AQUILAE SIGNUM IAM NUNC PONATUR IN HASTIS,
 SED CRUCIS IN CLYPEIS SPLENDEAT EFFIGIES.
 EN DELUBRA CADUNT, EN TEMPLA AUGUSTA PATESCUNT;
 IMPUNE EST LICITUM SACRIFICARE DEO!
 UNDE TIBI PLAUDENS INDICIT ROMA TRIUMPHUM;
 CHRISTIADA PLAUDENT TEMPUS IN OMNE TIBI.
 ANNE MIHI EST MENTIS LUSUS?... CRUX ALMA VIDETUR,
 QUAE EUXINUM PELAGUS PROSPICIT, ATQUE ASIAE
 FINES, LITUSQUE APRICUM BYSANTII ET ARCES,
 AGMINA DUM THRACUM TERRITA DIFFUGIUNT...
 AUSPICIUM FELIX! CRUCIS O VENERABILE SIGNUM,
 UT ROMAE VETERI, FULGEAT USQUE NOVAE.

CONSTANTINI AC LICINII AUGUSTORUM
EDICTUM
DE CHRISTI ECCLESIAE LIBERTATE
MEDIOLANI DAT. PRIMO VERE CCCXIII.

Iamdudum quidem, cum adverteremus non esse cohibendam religionis libertatem, sed uniuscuiusque arbitrio ac voluntati permittendum ut ex animi sui sententia rebus divinis operam daret, sanximus ut tum ceteri omnes tum Christiani, sectae ac religionis suae fidem atque observantiam retinerent. Sed quoniam in eo rescripto quo haec facultas illis concessa fuerat, multae ac diversae sectae diserte ac nominatim additae videbantur, quidam eorum ob hanc fortasse causam paulo post ab huiusmodi observantia destiterunt. Quamobrem cum nos, Constantinus ac Licinius Augsti, felicibus auspiciis Mediolanum venissemus, et quaecumque ad commodum utilitatemque reipublicae pertinebant, sollicite inquireremus; inter cetera quae universis multifariam profutura iudicavimus, seu potius p[re]a reliquis omnibus haec constituenda esse censuimus, quibus divini numinis cultus ac veneratio contineretur: hoc est, ut Christianis et reliquis omnibus libera facultas a nobis tribuatur quamcumque voluerint religionem consecandi: quo scilicet quidquid illud est divinum ac caeleste numen, nobis et universis qui sub imperio nostro degunt, propitium esse possit. Hanc igitur nostram voluntatem salubri et rectissimo consilio promulgavimus, ut nemini prorsus Christianam observantiam ac religionem sequendi aut eligendi licentia denegetur. Sed unicuique liceat ad eam religionem quam sibi conducere censuerit, animum applicare; quo divinum numen propensum erga nos studium ac benignitatem in omnibus possit ostendere. Porro consentaneum fuit ut haec nobis ita placere rescriberemus, quo sublatis penitus omnibus sectis quae in priore nostra de Christianis epistola ad tuam devotionem missa continebantur, cum illa quae prorsus sinistra et a nostra mansuetudine aliena esse videbantur, omnino removeantur: tum ut in posterum quicumque Christianam religionem observandam sibi esse statuerunt, eam libere et constanter absque ulla molestia et impedimento retineant. Quae quidem idcirco tuae solertiae indicanda censuimus, ut liberam et absolutam licentiam religionis suae colendae Christianis concessam a nobis esse cognoscas. Quod quoniam a nobis simpliciter et absolute illis concessum est, simul etiam aliis observantiam et cultum suum sectari volentibus, id concessum esse tua devotio intelligit. Quod profecto temporum nostrorum tranquillitati convenire perspicuum est; ut unicuique liberum sit quamcumque voluerit colendi numinis rationem eligere atque observare. Atque id a nobis eo factum est, ut ne cui divino cultui atque honori quidquam a nobis detractum esse videretur. Hoc autem amplius in gratiam Christianorum decernimus: ut loca ipsorum in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in literis prius ad devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qui aut a fisco nostro aut ab alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia et sine repetitione ulla superadiecti pretii, incunctanter ac sine ulla ambage restituant: et si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant. Quod si qui ea loca emerunt aut donata acceperunt, aliquid a nostra clementia petere velint; ii Praefectum qui in illa provincia ius dicit, adeant; ut a nostra serenitate ratio ipsorum habeatur. Quae quidem omnia protinus sine ulla dilatione corpori Christianorum restitui tua cura ac diligentia oportebit. Et quoniam iidem Christiani non solum ea loca in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quae non privatim ad singulos ipsorum, sed ad ius corporis pertinerent; haec omnia post legem a nobis memoratam absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet corpori et conventiculo ipsorum restitui iubebis; supradicta scilicet ratione servata, ut qui ea loca absque redhibitione pretii, sicut dictum est, restituerint, indemnitatem suam a nostra benignitate exspectent. Atque in his omnibus supradicto corpori Christianorum operam tuam atque industriam quoad fieri poterit praestare debebis; ut mandatum citissime perficiatur, quo in hoc etiam communi et publicae tranquillitati a nostra clementia consulatur. Hac enim ratione, sicuti iam diximus, Dei erga nos cura ac benevolentia, quam in multis iam negotiis experti sumus, firma ac stabilis perpetuo permanebit. Porro ut huius legis ac beneficentiae nostrae sententia ad omnium notitiam perferri possit, has literas nostras ubique proponi, et ad cuncorum cognitionem pervenire conveniet: ne benignitatis nostrae constitutio quemquam omnino latere possit.

(Ex EUSEBIO. — *Hist. Eccl. tib. X cap. V.*)

DE CRUCE CHRISTI TRIUMPHANTE

CARMEN SAECULARE (¹)

*Arbor infelix! vetus unde Serpens
sibilos fudit generique nos!ro
virus afflavit, tua iactitare
mitte venena.*

*Alteram, quae nos nece liberaret,
Arborem sevit Reparator orbis,
hancque fatalem voluit nefasto
esse Draconi.*

*Cuius in dirum caput haec reperire,
lapsa de caelis, tonuere dicta :
« Vae tibi, reptans pecus, hospes olim
aliger aethrae!*

*« Fraude vicisti; veteri sed Hevae
Heva succedet nova, quae novellum
in tuas clades, Hominem Deumque,
gignet Adamum. (²)*

*« Nec geret Victor sua bella, ferro
dimicans; ligno tibi colla franget;
franget armatus Cruce; Crux salutem
afferet aegris. »*

*O Crucem Christi, Satanae pavendam!
O piam nobis! quibus et medela n
praebet et vires, et ab hoste tutam
porrigit umbram.*

*Quis tuam digne canat, Arbor alma,
vim salutarem? Tua quis per omnes
dicat aetates benefacta, plena
prodigiorum?*

*Aspidum morsu pereunt Hebraei;
quos tamen sanat, trabe fultus alta,
aeneus Serpens, morituri imago
pendula Christi. (³)*

*Aridas rursum perit inter oras
Israel. Flentes radiata Mosis
Virga solatur, Crucis efficaci
lumine tacta;
quae, simul rupem ferit, inde largos
elicit fontes; (⁴) iterumque salsa
mersa sub lymphas, veterem saporem
arcet amarum. (⁵)*

(1) Crucis salutiferae triumphi opportune celebrantur hoc an. MCCCCXIII, revoluto nempe saeculo XVI, ex quo Constantinus Magnus Christiano cultui plenam dedit libertatem, postquam Romae ad pontem Milvium, explicato Labari vexillo, Cruce et monogrammate Christi insigni, Maxentium tyrannum devicerat.

(2) Gen. III, 4.

(3) Num. XXI, 9. — Cfr. EVANG. IOAN. III, 14.

(4) Num. XX, 11.

(5) Exod. XV, 25.

*Crux domuit orbem, non ferro,
sed ligno.
(S. AUG. in Ps. LIV.)*

*Surge nunc, divo rutilans cruo,
Golgothae vertex! Crucis et potentem
fare virtutem, tua qua recussa est
saxea moles.*

*Mira narrabis: Moriente Iesu,
sol opacatur; nigrat aura, Morsque
mortuos reddit, monumenta iussos
linquere fracta;*
*intremit tellus; mare fervet; hiscit
sanctius Templi penetrale; culpas
flet suas Latro; flet et ipse, tunso
pectore, Miles. (⁶)*

*Iamque per gentes vigerat universa
lex triumphatrix Crucis: haec inermes
martyres firmat, gladios et ignem
spernere doctos;*
*firmat Andream, cruce gloriantem; (⁷)
roborat Petrum sociumque Paulum;
armat Agnetem timidique sexus
agmina longa.*

*Arx erat Romae, Capitolium qua
eminet, vasti velut umbilicus
orbis, auratum Iovis unde signum
fulmina vibrat.*

*Heic, metus expers, tua collocasti
castra, Maxenti: legione multa
septus, et fausto bovis immolati
omine fisis.*

*Filium rides Helenae, cruentam
qui tibi cladem, sibimet triumphum
praecinit certum, Crucis explicato
caelite signo. (⁸)*

*Curris ad pugnam, Iove fretus; infit
densa telorum volitare grando;
mox sonant enses, truciorque saevit
cominus ira.*

*Milvium sentis trepidare pontem,
quem graves calcant pedites, equorum
quem premunt turmae; rubet a profuso
sanguine Tiris.*

(6) Evangelistae passim.

(7) Andreas Apostolus, visa cruce cui affigendum erat, in haec flammatia verba erupit: « O bona Crux... diu desiderata, sollicite amata... accipe me et reddi me Magistro meo ». (Offic. diei XXX Nov.)

(8) Nemo ignorat, quae Eusebius Caesariensis (in sua Vita Constantini, c. XXXVIII, etc.) refert de radiante in caelis Cruce, quam imperator sub horis meridianis vidisse se testatus est, cum hac inscriptione: « In hoc vice ». Quam ad formam Labarum conficiendum esse iussit.

*Heu tibi! cui flos cecidit cohortum;
terga verterunt reliqui; fugamque
ipse molitus, fluvii tumentis
praeda peristi.*

*Crux io victrix! nec habenda posthac
poena servilis; ⁽¹⁾ sed honore praestans
stemma, quo regum, decorata gemmis,
sceptra nitebunt.*

*En tibi surgunt, Helena iubente,
templa turritis speciosa tectis,
unde sublimis tua (dux viarum)
emicat hasta. ⁽²⁾*

*Aedibus sacris operitur ultro
occidens tellus oriensque; cunctas
una sed vincit tua Golgothaei
verticis Ara.*

*Omnis huc orbis, pietate tractus,
confluit: Paulam sequitur Quiritem
Dalmatum Doctor; ⁽³⁾ peregrina monstrat
Silvia calles. ⁽⁴⁾*

*Huc volat, Persis domitis, triumphans
Bosphori princeps, humerisque gaudet
te suis, mundi pretium redempti,
ferre receptam. ⁽⁵⁾*

*Advolat, terror trucis Islamitae
sub Crucis signo Godefridus, ⁽⁶⁾ et qui
a LEONINO meruit vocari
CORDE Britannus. ⁽⁷⁾*

(1) Constantinus M. legem tulit; ne deinceps Crux in suppliciis son-
tium adhiberetur.

(2) Unum ex his templis fuit Sessorianum in Urbe, quod vulgo ap-
pellatur a Cruce Hierosolymitana.

(3) Paula, nobilis matrona Romana, pietatis causa, Bethlehemum
secessit, ubi a. cccciv sancte obiit. Ibidem diu vixit et vita excessit eius
Magister et Ecclesiae Doctor S. Hieronymus, natione Dalmata.

(4) Silvia, monialis Aquitana, sub finem saec. iv celeberrimam suam
peregit et conscripsit «Peregrinationem ad Loca Sancta,» unde ei agno-
men «Peregrina».

*Mitis accurrit Ludovicus, ipsis
hostibus carus; ⁽⁸⁾ Superumque flagrans
igne Franciscus, vigil ad Sionis
lmina custos. ⁽⁹⁾*

*Huc et adspirat pia mens Columbi,
ferre qui legem Crucis irrepertas
ardet in terras, Solymamque regi
reddere Christo. ⁽¹⁰⁾*

*Pergit huc aetas properare nostra;
quaeque vectores pia fert carina,
instruit proram Cruce, Daviasque
personat hymnis. ⁽¹¹⁾*

*Grande vexillum Crucis! ut bicornem
saepe tu Lunam Mahumetis, utque
mille sub formis inimica quaevi
signa fugasti:*

*sic novos hostes preme, christiana
stirpe qui nati, vetus exuerunt
nomen, ac in te iaciunt, furentes
irrita tela.*

*Conteres ictu miseros supremo,
qua die, fulgens Labarum, praebis
Iudici Christi: favor impiorum,
gaudia iustis. ⁽¹²⁾*

FRANC. XAV. REUSS.

(5) Heraclius, imperator Byzantinus, cum Persas devicisset raptam-
que ab eis Crucem Christi recuperasset, sacrum Lignum a. DCIX suis
humeris in templum Golgothaicum reportavit.

(6) Godefridus, dux Bullionen, sub fin. saec. XI.

(7) Richardus a Corde Leonis, rex Angliae, saec. XII.

(8) S. Ludovicus IX, rex Galliae, saec. XIII.

(9) Eodem saec., S. Franciscus Asisinus haud veritus est Sultanum
adire, a quo clementer est exceptus. Ex eo tempore, Sodalibus Franci-
scanis custodia obtigit Locorum Sanctorum in Palaestina.

(10) Christophorus Columbus in votis erat, opes Novi Orbis in recupe-
randam Terram Sanctam impendere.

(11) Singulis annis, nec semel, huiusmodi naves iter sacrum suscipiunt.

(12) MATTH. XXIV, 30.

DE BELLO

Optime Tullius in suo *De Officiis*: «In republica maxime conservanda sunt iura belli. Nam quum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, quumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, configendum est ad posterius, si ut non licet superiore». Hoc est scilicet: disceptare de iure suo per rationes utrinque propositas, proprium est hominis, qua «animalis rationalis»; disceptare autem per violentiam tantum, est proprium hominis ut «animalis» simpliciter, quidquid ceterum effutiant in contrarium nonnulli falsi nominis philosophi, vel etiam homines rei militari unice addicti, seu quasi ad unum determinati. Isti, inquam, etsi quandoque sese ut ceteris cultiores iactent, barbarorum ferociissimi tamen

remanent, qui iustitiae, veritati, iuramentis valedicunt, ubi de appetitu satiando agitur, asserentes, absque pudore ullo, vim praestare iuri, seu violentiae soli iura aliqua competere.

Secus se doctrina christiana habet.

Bellum est congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios, in quo differt a duello quod est congressio eadem unius contra unum.

Quae congressio fit sive iniuriam inferendam pro-
pulsandi causa, sive illatam vindicandi: unde bellum
vel defensivum vel offensivum ex duplice capite audit.

In quo advertendum est bellum quodecumque etiam iustum, etsi ad bonum tendat, scilicet pacem, seu ordinem restituendum, nonnullaque indirecte bona ex eodem habeantur, ut, puta, animorum fortitudo, constantia, aliaque huiusmodi; atrocia tamen mala secum inferre, nempe homicidia, ruinas, odia, miserias innumeras, morum barbariem, insolentias triumphantium

ineptias plaudentium, conscientiae perversionem, aliasque huiusmodi sexcenta.

De hisce Vergilius (*Georg.* lib. I):

*Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensim.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: saevit toto mars impius orbe,
Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habens.*

Ita cum Marone illi omnes qui inter clamores triumphales, eosdemque plerumque iniustos, audiunt et planetus matrum, et miseras familiarum, et gentis inedia periturae.

Horum malorum causa nonnulli, et veteres et nostrae aetatis homines, bellum quodcumque iniustum volunt atque diris devovent.

Id oppido certum est, bellum propter se suscepimus aut declaratum, vel etiam superbiae, praedae, aut odii causa, sceleris damnandum esse. Neque male in careerem detrudendi forent, aut fune plectendi, qua publici malefactores, omnes quotquot effutunt bellum esse humanae naturae per se consonum et utile, quum tamen non sit nisi belluarum naturae conforme. Ubi nempe hominem definis «animal rationale» esse, significas ipsum ex indole et natura propria rationi, conscientiae, aequitati, honori cedere; ubi autem cedere vis soli violentiae, eum facis «animal irrationale».

Id e contra certum est, societatem non minus quam individuum hominem appetere natura et debito pacem, quae sit «tranquillitas ordinis», quaque procuretur unitas voluntatum individualium in eundem finem conspirantium; idque esse bonum commune. Itaque pax appetenda est tum domi, tum in bello, neque bellum indicendum est nisi ut pax, seu tranquillitas ordinis vel in tuto ponatur, vel laesa vindictetur et instauretur.

Hinc, rursus, ubi laesa fuere societatis iura, iudice Terentio: «Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet».

Laudandi eximie sunt propterea homines illi, qui vel tribunal inter nationes instituere tentarunt, vel procurant ut populorum Rectores colloquia de iuribus suis habeant, priusquam ad armorum sortem recurratur. Hisane sunt de genere humano benemerentes proclamandi; et quidem eo solemnius, quo huiusmodi colloquia vel tribunalis decisa magis ad iustitiam accident quam arma et armorum fortuna, quum pateat ex logica et historia victoriam vel cladem non esse plerumque iuxta dictamina iustitiae, sed e contra iniustitiam novam priori additam, atque «grande latrocinium», ut ait Augustinus, novis facinoribus auctum.

Evanuit utique illa supersticio qua vulgus opinabatur «duella iudiciaaria» non resolvi nisi iuste, eo quod

scilicet omnis victoria pro iure staret; sed vero vehementius aetate hac nostra ea saevit de bello ipso, quasi non nisi iusti vincerent, iniusti vincerentur. Haec est barbaries iurisque naturalis solemnissima offensio.

Attamen negandum nullatenus est, ubi graviter bonum societatis laeditur, vel in periculum adducitur, nec potest rationibus restitutio obtineri, vel salvatio haberi, tunc, quasi inter duo mala minus eligendo, ad arma recurri posse; in quo discrimine bellum quasi pars iustitiae vindicativae evadit.

Quod egregie, more suo, explanat Angelicus: «Ad hoc quod aliquod bellum sit iustum, tria requiruntur:

« Prima quidem auctoritas principis, cuius mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest ius suum in iudicio superiori prosequi. Similiter etiam quia convolare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Quum autem cura reipublicae commissa sit principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis vel regni, seu provinciae sibi subditae tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio, contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt, secundum illud Apostoli ad Rom. 13: — Non sine causa gladium portat; minister enim Dei est, vindex in ira ei qui male agit, — ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Unde et principibus dicitur in Ps. 81: Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate. — Unde Augustinus dicit *Contra Faustum*, lib. 23, cap. 3: Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc posuit, ut suscipiendo belli auctoritas atque consilium penes principes sit.

« Secundo requiritur causa iusta, ut scilicet illi qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur. Unde Augustinus dicit in libro 83, *Super Iosue*, (qu. 10) iusta bella ea diffiniri quae ulciscuntur iniurias, si gens vel civitas plectenda est, quae vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam oblatum est.

Tertio requiritur ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Augustinus in libro *De verbis Domini*: Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non sunt quae non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, et boni subleventur. — Potest autem contingere ut si sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa iusta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Augustinus, in libro *Contra Faustum*, cap. 74: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur. (2 2.^{ae} q. 40, a. 1) ».

Id quod dixit sanctus Doctor, nempe bellum ab auctoritate supraea indicendum esse, intellige de utroque bello, offensivo scilicet et defensivo, cum hac tamen

differentia, illud non nisi auctoritate praedicta indicie posse; circa istud autem, in casu invasionis repentinae, ab omnibus, praesumpta potestatis supremae licentia, resisti posse, atque vim vi repellere.

Causa autem iusta est imprimis causa gravis, v. gr. iniuria gravis illata, recuperatio provinciae aut alicuius gravis debiti, auxilium hosti iniusto delatum, violatio pacti gravis, denegatio tributi iusti, etc. Si quis autem iniuriam levem in se et in circumstantiis passus per bellum castigare tentaret, ille sane contra honestatem pariter ageret.

Causa iterum iusta erit, quum damnum illatum non possit aliter quam per bellum reparari: unde nemo potest bellum indicere nisi prius ratione rem accommodare frustra tentaverit.

Id ceterum nota, bellum etsi in se non possit esse utrinque iustum, esse posse tamen iustum ab utraque parte in opinione, propter bonam fidem utrinque habitat.

Causa iusta demum erit, quae tum certa tum certo gravis sit: ubi autem, iuxta optimatum aestimationem, dubia agnoscatur, bellum, quod est malum adeo grave, non potest indicari, nisi adversarius compensationem pro rata dubii offerre noluerit.

Sed vero, proh dolor! haec civitatis christiana principia inter Christianos dimittuntur, nec legitur de ullo principe, excepto uno sancto rege Franciae Ludovico IX, qui conscientiae examen de hisce instituerit.

Adverte, populos et principes qui armis suis unice fidunt, armis demum quandoque cessuros; tutius autem stare qui principiis iustitiae et honestatis nituntur. Id statuerat Tullius: «Armis Italia non potest vinci, nec Graecia disciplinis. (*Rhetor.* lib. IV)». Quod si erravit de Italia armis nunquam vinceenda; recte dixit de Graecia in disciplinis invincibili.

Id meminerint aetatis huius nostrae homines, qui dum simul praeesse ceteris cupiunt, non nisi armis suis, more barbarorum, fidunt; illos grandiores atque illustriores perpetuo fore populos, qui sanores rectioresque rationis normas in suo aliorumque tuendo iure observaverint, praedicaverint, in praxim deduxerint.

Ceteri autem non nisi vel intellectu, vel moribus infimi apud historiam habebuntur.

I. I. B.

EX BATAVIA.

De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXII.

Accepimus, et libenter edimus:

Die x huius mens. Martii in conventu Ordinis litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicarum relatum est de XXXVIII carminibus, quae Amstelodamum missa erant ut de praemio Hoeufftiano anni MCMXII certarent. Horum aureo numismate dignum iudicatum est carmen inscriptum *Amaryllis*, cuius auctor apparuit Raphaël Carrozzari Mediolanensis. Praeterea

prelo dabuntur septem carmina praestantissima, si poetae ante Kalendas Iunias veniam dederint scidulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Vox patriae, Aëriae voes, Duo insontes, Alma quies, Titanicae interitus, Alumnus Virgili, In funere Ioannis Pascoli.*

Amstelodami, d. xi m. Martii MCMXIII.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis.

Scimus praelaudati carminis, cui titulus *Duo insontes*, auctorem esse socium nostrum clarissimum Franciscum Sofia Alessio; cui igitur gratulamur ex animo.

V. U.

FRIDERICUS OZANAM

Clarissimi huius viri, qui de bonis litteris, de historia, de philosophia, praesertim vero de religione et christiana caritate eximie meritus est, agitur hoc anno, per universum fere orbem, saecularis natalium memoratio. Ortus enim est anno MDCCXIII Mediolani, ubi et aetatem infantilem transegit. Quum tamen pater eius, qui medicam exercebat artem, Lugdunum demigrasset, ibidem Fridericus puer et adolescens litteris est institutus. Sexdecim annos natus, tabellioni se discipulum tradidit; quo eodem tempore, multam dedit operam variis linguis addiscendis, nempe italicae, anglicae, germanicae, immo etiam hebraicae. Identidem scripta quoque edebat, evulgata sive in Commentariis periodicis, sive in libellis separatis; cuiusmodi est eius opuseculum: *Réflexions sur la doctrine de Saint-Simon.*

Annum agens decimum nonum, Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi studia iuridica ulterius prosequeretur gradusque academicos acquireret. Et re quidem vera, elapso quadriennio, iurium doctor, novumque post biennium, doctor bonarum litterarum renuntiatus est; summopere laudatus ob duplarem thesim, quarum altera, latine scripta, agebat *De frequenti, apud veteres poetas, heroum ad inferos descensu;* altera hunc praeferebat titulum: *Dante et la philosophie catholique au 13^e siècle:* quod postremum argumentum auctor deinde, copiosius tractatum, in iustum volumen ampliavit.

Mox Lugdunum reversus, in illa Academia ius commercii docuit. Quum tamen anno MDCCXL vacasset in Academia litteraria Parisiensi cathedra «professoris aggregati», Fridericus, indicto certamine, princeps inter aemulos declaratus, munus illud obtinuit; nec multo post, defuncto in Academia Sorbonensi doctore titulari litterarum exterarum, in eius locum cooptari meruit: primus quidem a quatuor decenniis, qui in ea studiorum universitate palam se magistrum catholicum prodere non vereretur.

Neque id mirum fuit in nostro, utpote qui a prima aetate innocentissime vixisset fidemque catholicam nun-

quam occultasset: adeo ut, etiamtum discipulus, magistros, qui veritates christianas aut Romanam Ecclesiam offenderent, confutare non dubitaret, sive verbis coram prolati, sive scriptis in docentium cathedra repositis. Praelectiones autem suas summo studio praeparabat, praemissa etiam domi oratione ad Deum, sapientiae fontem.

Anno MDCCXLVIII, exorta seditione, qua Ludovicus Philippus rex e throno est deiectus atque omnia sunt perturbata, civem se fortem Fridericus exhibuit, auctorque fuit Archiepiscopo ut pacifer inter bellantes progredetur. Restituta pace, ad praelectiones suas rediit; quas tamen anno MDCCCLII praetermittere coactus est, ob valetudinem tot laboribus labefactatam.

Neque aquae salutares, quas adivit inter Pyrenaeos montes, neque caelum Italicum depellere morbum potuerunt. Pisis, ubi aliquamdiu constitit, testamentum suum scripsit, mense Aprili a. MDCCCLIII; Massiliae vero, morientum sacramentis pie susceptis, spiritum Deo reddidit, die VIII Septembris eiusdem anni. Corpus eius Parisios delatum, quiescit prope studiosam illam pubem, quam tantopere dilexerat, accensis eorum animis non minus optimae cuiusque doctrinae studio, quam christianarum virtutum aemulatione.

Ozanamii opera omnia, amicorum manu collecta, primum typis excusa sunt Parisiis a. MDCCCLV, octo voluminibus comprehensa; ac decennio post, auctiora prodierunt, in volumina undecim distributa; quorum plura in alias etiam linguis conversa sunt.

Horum praecipua numerantur: *La civilisation au 5^e siècle. — Les Germains avant le christianisme. — Les poètes franciscains en Italie au 13^e siècle. — Documents inédits pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie. — Etudes germaniques pour servir à l'histoire des Francs*, etc. In his scriptis omnibus, insigni eruditione abundantibus styloque puro et eleganti exaratis, totus est auctor ut demonstret, quam efficaciter, per saeculorum decursus, Ecclesia catholica in recte formandis expoliendisque populorum moribus, in fovendis artibus bonisque litteris et doctrinis elaborare non destiterit, adeoque de civilitate humani generis merittissima sit.

Omnium tamen laudum, quae Ozanamii nomini inherent, haec potissima est, quod admirabilem instituit societatem, sub vulgato nomine *Conferentiarum S. Vincentii a Paulo latissime propagatam*. Adscitis enim sibi sociis aliquot, qui eosdem atque ipse sensus fovebant, apostolatui verbi et calami addere voluit apostolatum caritatis, quo nihil efficacius est, ad mentes etiam rebellis Christo lucrandas. Humilia fuerunt huius instituti exordia, ut fieri solet in omni re Deo placita. Paulatim tamen auctus est sociorum numerus, aucta pauperum multitudo, quibus subsidia tribuerentur. Parisorum finibus egressa, benemerita haec Societas divulgata est in reliquas Galliae urbes; moxque in alias, non solum Europae, sed orbis universi regiones est

dilatata: adeo ut in praesenti fere octo millia stationum complectatur, et singulis annis in egenos eroget libellarum circiter centies quinquagies centena millia (15.000,000). Quae res eo mirabilior est, quod collectae stipes generatim non a ditissimis hominibus proveniunt, sed plerumque ab iis qui areta, aut certe non tam ampla, fortuna utuntur: quod indicio est, non humana, sed divina providentia hasce *Conferentias* ortas esse atque inniti.

Aequum igitur erat, ut tanti viri, qui in conditione laicali existens, tam eximia sanctitatis exempla praebuit, brevis saltem commemoratio et in hoc nostro fieret Commentario.

R. F.



DE PILARI LUDO QUI VULGO APPELLATUR "GOLF,,

Qui olim pollicitus sum de pilarum ludo « Golf » vulgo nuncupato me in VOCE URBIS scripturum, de argumenti difficultate semper memor, nunc tandem, insufficienter licet, hoc fungi officio aggredior,

Perantiquus apud Scotos est hic ludus; nec desunt qui eum apud Scotos ortum esse omnino negent, quorum sententia quodammodo firmatur tabulis in continentis repertis, quae hunc aut huiusmodi ludum exhibent. Afferunt quidam eum originem traxisse e Batavia, cuius terrae configuratio esse aptissima ad eum gerendum videtur. (1) Nihilominus quem Batavi eius oblitissent, Scotti eum sedule colebant et rursus in Bataviam induxerunt, ut in plerasque Europae et Americae partes, ubi Scotti « peregrini more suo » vitam forte degunt.


Nominis ipsius « Golf » aliorumque verborum ad eum pertinentium derivatio est incerta, ne dicam ignota. Modo autem nec eius historiam nec verborum derivationem investigo; id unum adnotans « Golf », nihil aliud quam « clavam » fortasse significare; aut potius « clavem »; in similitudinem scilicet « aduncae clavis » illius ad trochum agendum adhibitae; de qua Horatius (*Carm. 3, 24, 57*), Propertius (*3, 14, 16*) et Ovidius (*Art. amat. 3, 383*). Verbum fortasse utrumque e radice communis promanavit.

Pro ludo hoc, qui sub dio semper gerendus est, nos habere oportet pilam duram clavulasque, quarum illa, ex galbano indico partim facta, magnitudine ovi gallinae — modo circularis — colore est alba, quo facilius in herba conspiaciatur; hae baculorum conversorum persimiles sunt, quorum capita ex ligno, aere, ferro ad pilam variis conditionibus locisque feriendam perite confecta sunt.

Elementa quidem seu principia ludi satis pervia sunt intellectui. Consistunt enim in pila agenda e carceribus ad metam quamdam signo notatam, ubi est cyathus terrae insertus, quemque in cyathum clavalium ictibus pila agenda est.

(1) Hae tabulae decimi quinti saeculi ad finem referuntur. Antiquissima mentione huius ludi in Scotia anno MCCCCCLVII occurrit.

Duobus ex lusoribus, quorum uterque suam ipsius pilam sequitur, qui ictibus paucissimis hoc perficit, victoriam a prima cursus parte reportat. Sed cursus insuete unam tantum metam habet: vulgo plures, vel ad duodeviginti, quum campus offeratur idoneus.



DESCRIPTIO CAMPI AD «GOLF» LUDUM AGENDUM. (Nⁱ 1, 2, 3, 4.... 18 metas indicant, seu cyathorum loca; alii, scilicet 250....300, etc. intervalla inter metas, Anglicis virgls, vulgo YARDS computata. — Ad tertiam supra decimam metam efficit huius campi, pilas cursus cursum intercidit metae decimae, quod vero imitandum non est.)

Itaque meta prima fit locus carceribus secundis, unde ad alteram progrediatur. Sic prorsus itur ad maxime longinquam, siveque retrorsum, devio paulo itinere, usque ad ultimam, quae prope primos omnium carceres stat. Qui ad plurimas metas seu cyathos vinctus evaserit, praemium feret.

Hunc ludum, hercle, non multum difficultem esse dixeris: sed mature nimis, quia qualis sit loci natura, per quem pila agi oporteat, nondum cagnoisti. Loci enim omnium optimi sunt tractus terrae arenaceae et aridae praeter oras maritimas iacentes, quales in Scotia habemus apud Sancti Andreæ urbem et Tain et Dornoch; quamvis in regionibus interioribus etiam cursus bonos fieri posse satis constet. Praeter oras maritimas autem, terra inculta longiores tractus offert ad cursus ludi faciendos, quorum ad quinque millia passuum plus minus quidam pertinent. Tumulis etiam abundant arenae vento cumulatae, in quibus gramina brevia cristulae iuncorum, genistae spinosae parce florent. Cuniculi et cavernae ex arena hic et illic dehiscunt. Rivulus praeterea amoenus et sat's profundus fortasse per terram transfluit. Hic est cursus; haec pericula. Haud dubium quin medio in cursu sint spatia aperta et aqua, quo lusor quisque artis peritus tentat, ut pila iaceat quam optime possit. Atqui si in rivulum, si in cavernam incidat, eheu! dicendum est: « Facilis descensus.... ».

Sed remeare gradum! Nam gradus est remeandus, nec permittitur carcères inter et metas manu ut tangatur pila, nisi perraro ac poena semper soluta; quia lex decrevit eam semper esse feriendam, ferendam nunquam.

Itaque, si certamen non times, in arenam descendamus. Pilam habes et clavulas. Itemque ego. Hae variis formis et « callidis juncturis » scienter sunt

constructae, quaedam ad pilam longe, quaedam in altum abigendam, ut occasio capiatur aut res adversae evincantur. Hi pueri qui adsunt asseclae nostri peras clavularum portabunt.

Imprimis, manipulo arenae humidae e cistella extracto, quae in hanc rem praestat carceribus, parvulum facio tumulum, pyramidis forma, cui pilam impono.

De Alexandro Magno dicitur: «Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis»; logica ratione pyramidula meo orbiculo sufficiet.

Magni autem momenti in hoc ludo est ictus primus. Longissima igitur clavula utor, quae «propulsatoria» vocatur. Hanc, ad summum, sinistra teneo manu leviter, firmiter dextra paulo inferius posita, et tali modo «in statione manus et membra pugnae paravi», ut quem pilam petiverim, nec late nec in terra currat, nec in altum nimis ascendet, sed volatu humiliori longum iter conficiat. Tramite quidem noto «sit oculus ad orbem» est consilium sapientum.

Clavulam ergo, capite eius aequo pone pilam habito, paulisper vacillo, ut pedes meos esse firmos omninaque libera et aequa sentiam; («pilam alloqui» id vulgo dicitur); eamque extollo adeo ut manus prope humerum dextrum sint. Exinde tota euro vi ut descendat quasi circulum, cuius in peripheria punctum sit media pila velociter mihi describendum; eoque confecto, manus in humero sinistro, clayula in tergo ni-



FERNIE, lusorum « Golf » in Scotia princeps an. 1911,
« pilam alloquens ».

tuntur. Hoc fieri debet ita ut corpus et membra positio-
nem assumant elegantem et clavigeri huiusmodi pecu-
liarem. Sed « oculos sit ad pilam »...

En ! longe pervolans transit rivulum aliaque pericula,
donec tandem loco aperto et plano incolumis quiescit.

— Bene iacet, certe ! Tu-ne nunc tentabis, amice
mi ? Nonne semel saltem pilam propellere audeas ? Audio



FERNIE pilam propulsurus.

te dicentem tironem esse ; timere ne risum asseclarum
et adsistentium moveas ; alias privatim te prius in
hoc ludo exercere velle, quam manus publico cursui
committere.

Recte quidem. Sequaris igitur mecum pilam, quam
in parva terrae depressione invenimus. Sed ne me-
moria decidat : « Noli me tangere manu » legem esse.
Ferream hic clavulam propulsatoria rigidorem e pera
deligo, et genibus meis paulo flexis, circulari modo ite-
rum pilam percutere conor. Ah ! eam vere expuli,
caespite e terra fosso ; quod cynicum risum tollit as-
seclarum.

— Num putas - inquiunt - Scotiam iam satis a
priseis gigantibus effossam, ut tu nunc talem cicatricem
facias ?

Nobis vero qui sale et facetiis, neque iis asperis,
minime indignamur, immo laeto animo perferimus, re-
spondere iuvat : « Adiuva me, sis, hunc caespitem re-
ponere, ne ad instar sit Horatii parvulae « non bene
relicta » .

Caespite tandem reposito et represso, pilam nunc
invenimus ad imam herbae cristulam prope longam
cavernam arenaceam. Hic vero non bene iacet. Locus
apertus quidem haud procul est ; sed si pilam vehe-
menter percusserim, locum apertum praeteribit ; sin
secus, in cavernam incidet.

Clavulam itaque breviorem — (« spatulam » vo-
cant) — capio. Per quam, ietu dato, pila cavernam
revera transivit,..... sed in clivo marginis paulatim
mansit tremula ; tandem deorsum in cavernam prae-
postere ruit....

Nescio, lector carissime, an claviger ipse sis. Sin
minus, fabulam de Sisypho saltem audivisti, in Tartaris
nequitias expiantis saxum volvendo ad summum mon-
tem ; quod simul ac fastigium attigit, praeceps ad imum
redit. Sic de illo fabulantur : atqui claviger imperitus
iste Sisypho comparandus, cui, iuxta ludi leges, non nu-
merantur ictus !

Si tamen solamen aliquod inde repetere volueris,
cogita huiusmodi poenam, non aliter ac te et Sisyphum
illum, ipsos quoque reges nostrae aetatis muletari
posse.

Rex enim Britannorum, eiusque administri, tam res
gerentes quam emeriti, sunt clavigeri, qui cavernas
non semper vitare sciunt. Quid ? Nonne senes etiam
octogenarios et feminas adolescentes pilam in cursu
sequi solitas videmus, qui ambulationem sub dio cor-
porisque lene exercitium valetudini suae plurimum con-
ferre affirmant ? Sed « Golf » ludus iuvenes bonos mores
quoque docet ; quamvis enim certantes *golfinis* iocis
frequentioribus gaudent, nemo nisi stultus, cito vitan-
dus, malis utitur verbis. Esse iustum erga adversarios,



FERNIE post ictum pilae datum.

vicissitudines fortunae risusque asseclarum aequo animo
tolerare, nec nimis rebus secundis efferri : haec monet
ludus ; haec clavigero discenda omnino.

Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE,

ACTA PONTIFICIA

SSmi. Dni. Nostrii Pii PP. X Litterae Apostolicae, quibus, in memoriam pacis a Constantino Magno Imperatore Christi Ecclesiae datae, Universale Iubilaeum indicitur.

PIUS PP. X.

Universis Christifidelibus has Nostras litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Magni faustique eventus commemoratio, quo sedecim abhinc saeculis pax tandem Ecclesiae concessa fuit, dum omnes catholicas gentes summa afficit laetitia, eisque pietatis opera suadet, Nos movet imprimis ad caelestium munerum thesauros aperiendos, ut ex huiusmodi solemnitate lecti uberesque fructus in Domino percipientur. Par enim est, idemque per opportunum videtur, Edictum a Constantino Magno Imperatore Mediolani promulgatum concelebrare, quod prope secutum est victoriam contra Maxentium, gloriose Crucis vexillo partam, et saevis in Christianos vexationibus finem faciens, illos in eam libertatem vindicavit, cuius pretium divini Redemptoris et Martyrum sanguis fuit. Tum demum militans Ecclesia primum ex iis triumphis egit, qui qualibet eius aetate omnigenas insectationes perpetuo subsequuntur, atque ex eo die potiora semper in humani generis societatem contulit beneficia. Nam homines superstitione idolorum cultu paulatim relicto, tum legibus, tum moribus institutisque christianam vitae rationem magis ac magis amplexi sunt, atque ita factum est, ut iustitia simul et caritas in terris florerent. Consentaneum igitur esse ducimus, hac felici occasione, qua tam egregium factum recolitur, Deum, Virginem Eius Genitricem et reliquos Caelites, Apostolos praesertim, etiam atque etiam ad precari, ut populi universi decus et honorem Ecclesiae instaurantes, ad tantae matris gremium confugiant, errores, quibus inconsulti fidei inimici eius claritati tenebras obducere nituntur, pro viribus depellant, Romanum Pontificem summa observantia colant, in catholica denique religione omnium rerum praesidium et columen fidenti animo intueantur. Tum sperare licebit, homines oculis ad Crucem denuo fixis, in hoc salutari signo et Christiani nominis osores, et effraenatas cordis cupiditates omnino devicturos. Verum quo humiles preces, in catholico orbe hac saeculari solemnitate adhibendae, spirituali fidelium bono satius cumulentur, eas Plenaria Indulgentia in forma Iubilaei locupletandas censuimus, omnes Ecclesiae filios vehementer hortantes, ut Nostris suas quoque supplicationes pietatisque officia coniungant, et hac eis oblata Iubilaci gratia in animorum emolummentum pariter atque in religionis utilitatem quam maxime fruantur. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi solvendique potestate, quae Nobis licet immerentibus divinitus data fuit, atque

auditis etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitoribus Generalibus, praesentium tenore omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vel in hae alma Urbe Nostra degentibus, vel advenientibus ad eam, qui hoc vertente anno a Dominica in Albis, ex qua saecularia sollemnia in Ecclesiae pacis memoriam incipient, usque ad festivitatem Deiparae Virginis ab Immaculata Conceptione inclusive, Basilicas S. Ioannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum ac S. Pauli extra muros bis singulas adeant, et ibi aliquandiu pro Ecclesiae catholicae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro haeresum extirpatione, et omnium errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia et totius fidelium populi pace et unitate secundum mentem Nostram preces ad Deum effundant, ac semel intra huiusmodi temporis spatium, admissis rite expiatis, caelesti convivio se reficiant, atque insuper eleemosynam pro sua quisque facultate vel in egenos, vel, si malint, ad pias caussas erogent, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam ad instar Iubilaei generalis concedimus et impertimus. Iis vero, qui ad Urbem convenire nequeant, Plenaria eandem largimur Indulgentiam, dummodo sui loci templum vel templo, ab Ordinario semel tantum designanda, pari temporis intervallo, omnino sexies visitent, et alia pietatis opera, quae superius diximus, integre perficiant. Veniam praeterea facimus, ut haec Plenaria Indulgentia etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat. Concedimus autem, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se reperint, operibus supra scriptis peractis, et visitata sexies ecclesia cathedrali vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii seu stationis, eandem Indulgentiam consequi licite queant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque sive laicis, sive ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, in carcere vel in captivitate exsistentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quovis impedimento detentis, qui memorata opera, vel aliqua ex iis praestare nequeant, ut illa Confessarius in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eam nondum admissi fuerint, concedimus item atque indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem facimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemlibet presbyterum Confessarium saecularem seu regularem ex actu approbatis, et hac facultate fas sit uti etiam monialibus, novitiis, aliisque mulieribus intra claustra degentibus, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. Talis Confessarius eosdem vel easdem intra dictum

temporis spatium ad confessionem apud ipsum peragendum accedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud luerandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis, seu Sedi Apostolicae etiam in casibus cuicunque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumeumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis, et si de haeresi agatur, abiuratis prius et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (exceptis semper castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, et ad superiorum assecutionem dumtaxat contracta, dispensare possit ac valeat. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV decessore Nostro, quae incipit «Sacramentum Poenitentiae» neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede vel aliquo Praelato seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgencias Iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. — Quapropter in virtute sanctae obedientiae praesentium tenore districte praecipimus, atque mandamus omnibus Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel, ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut quum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa per suas ecclesias ac

dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, vel publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, ecclesiam seu ecclesias visitandas, ut supra, designent. — Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio vel specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressos, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut denique praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferrri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu aliquius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno X.

De speciali mandato Ssmi.

L. † S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a SECRETIS STATUS

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii. (*Sect. de Indulgentiis*).

Dubia circa Missas tricenarias Gregorianas et altaria item Gregoriana.

I. — Utrum sit necessarium quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? — *Resp.* Affirmative, prout in decisio a S. Congregatione Indulgientiarum, d. XIV mens. Ianuarii MDCCCLXXXIX.

II. — Utrum in casu satisfaciat sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam? — *Resp.* Affirmative.

IV. — Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem? — *Resp.* Negative.

V. — Utrum diebus in tricenario occurribus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum? — *Resp.* Negative; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet.

VI. — Utrum altare S. Gregorii in Monte Coelio de Urbe sit vere ac proprie privilegium? — *Resp.* Affirmative, iuxta Rescriptum ex audientia SS. d. XVIII mens. Februarii MDCCLII.

VII. — Quaenam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium Altaris Gregoriani «ad instar»? — *Resp.* Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda.

VIII. — Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani «ad instar»? — *Resp.* Negative.

IX. — Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis? — *Resp.* Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

(Ex decr. d. XI mens. Decembbris MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

Decretum circa Monialium et Sororum confessiones.

I. — Unicuique religiosae communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter, unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius: nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam iustum causam, alterum vel plures dari oporteat.

II. — Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare poterit:

a) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat; vel,

b) si maior Religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

III. — Pluries in anno, unicuique religiosae communitati detur Confessarius extraordinarius, ad quem omnes Religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

IV. — Unicuique domui religiosae aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosae in casibus particularibus, confessionis peragendae causa, facile vocare queant.

V. — Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem speciale Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant: quod si irreperserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate.

VI. — Si Religiosarum domus Ordinario loci subiecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si vero Superiori regulari, hic Confessarios Ordinario loci praesentet, cuius est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

VII. — Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero saeculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

VIII. — Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant; at Ordinarius, iusta de causa, et onerata eius conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea aetate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

IX. — Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, et, praeter casus in articulo 2 recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

X. — Confessarii omnes sive Monialium sive Sororum, caveant ne interno vel externo communis regimini sese immisceant.

XI. — Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitiae licet, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre: quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, auditam prius sacra Congregatione de Religiosis.

XII. — Omnes Religiosae de sociarum confessionibus nullo modo inter se colloquantur, neve eas sorores carpere audeant, quae apud alium, quam deputatum, confessionem peragant; secus ab Antistite vel ab Ordinario puniantur.

XIII. — Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intelligent Religiosas nulla iusta causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa speciale petendi Confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis depositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

XIV. — Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, licet iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semi-publico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indirecte quidem; Religiosaeque nihil Antistitiae suae referre tenentur.

XV. — Moniales omnes aut Religiosae, quum graviter aegrotant, licet mortis pérículum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas adprobatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

XVI. — Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum solemnum, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communictibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum dioecesana. Obligat etiam communitates, quae in Praelati regularis iurisdictione sunt; qui nisi fidelem observantiam huius Decreti curet, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

XVII. — Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus uniuscuiusque religiosae familiae addendum erit, et publice legendum lingua vulgari in Capitulo omnium Religiosarum, semel in anno.

(D. III mens. Februarii MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia de cœremoniis quibusdam servandis coram Augustissimo Sacramento, adstante vel celebrante Episcopo.

I. — In solemnni benedictione cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quando episcopus assistit cappa induitus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thuriferare SSimum. Sacramentum? — *Resp.* Affirmative, iuxta decretum n. 3035 Briocen., 21 Iulii 1855, ad 1.

II. — Si predicta benedictio solemnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno, debet genuflectere a dextris episcopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda? — *Resp.* Presbyter assistens accedit ad episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem; mox locum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium episcopo est porrecturus.

III. — Si aliquando contingat, ut episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito absque mitra? — *Resp.* Affirmative in casu: sed iuxta momrem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Caeremonialis Episcoporum, lib. I, c. 12, num. 8 et 9, episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publice exposito.

(Ex decr. d. VIII mens. Februarii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneri gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Maximilianus Brenner doctor, Collegii Teutonici ad S. Mariae de Anima in Urbe rector nuper cooptatus; Vincentius Misuraca, a Secretis Apostolicae Legationis Washingtonensis electus; De Caraman, Comes, eiusque uxor; Dessewffy, Comitissa; Lomer Gouin, doctor, Quebecensis civitatis minister primus; Friderica Isenburg, Princeps foemina; Florenda De Liedekerke, Comitissa; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, Pontificiae nobilium stipatorum cohorti praefectus, ascriptivorum militum agmen coram adducens; De Sanmarzano, Comitissa; Bentivoglio De Aragona, Marchio; Nani-Mocenico, Comes, eiusque uxor; Gonzales, Marchio; Paty du Clam, Tribunus militum.

Pontificiae elections.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit; scilicet: Cathedrali ecclesiae Novae Segobiae praefecit r. p. d. Petrum Iosephum Hurth, hactenus episcopum tit. Milopotamensem; tit. eccl. episc. Thasensi sacerdotem Emericum Bjelit, vicarium castrensem et canonicum eccl. cath. Magnavaradiensis ritus latini in Hungaria; cathedr. eccl. de Aguas Calientes r. p. d. Ignatium Valdaspino y Diaz, hactenus episcopum de Sonora; cath. eccl. Elphinensi sac. Bernardum Coyne, parochum loci vulgo Boyle et canonicum theologum Elphinensem; cath. eccl. Carolinopolitanae sac. Henricum O' Leary, parochum loci vulgo Bathurst in dioecesi Chatamensi; cath. eccl. Kearneyensi sac. Iacobum Albertum Duffy, rectorem ecclesie cathedr. Cheyennensis et cancellarium episcopalium curiae eiusdem dioecesis; cathedr. eccl. Ebroicensi r. p. d. Ludovicum Ioannem Déchelette, hactenus episcopum tit. Hieropolitanum; tit. eccl. episc. Miletopolitanae sac. Alexium Charost, canonicum eccl. metropolitanae Rhedonensis, ibique vicarium generalem, quem constituit auxiliarem revmi. archiepiscopi Cameracensis pro vicariatu generali Insulensi, recens constituto; cath. eccl. Piahunensi sac. Quintinum Rodrigues de Oliveira e Silva, presbyterum dioec. Fortalexiensis, ibidem parochum loci vulgo Orato.

Brevi autem apostolico r. d. Stephanus Larue, e Societe Missionariorum ad Afros nominatus est episcopus tit. Thuburbitanus et Vicarius Apostolicus novi vicariatus de Banguelo in Africa centrali.

— R. p. d. Dominicus Mannaioli, episc. tit. Pomarien.; r. d. Ioannes Prior, S. Romanæ Rotae Auditor; r. d. Ubaldu Mannucci et r. p. Ildebrandus Hopfl O. S. B. in collegium Consultorum S. Congnis. Indicis adsciscuntur.

— R. p. d. Ioannes Oberti, episcopus Salutiarum, inter episcopos Pontificio solo adstantes adnumeratur.

— R. d. Vincentius Misuraca a secretis dicitur Apostolicae Legationis apud Civitates Foederatas Americae Septentrionalis.

— Purpuratus Pater Dominicus Ferrata, praefectus S. Congnis. Sacramentorum, qui XXIV Coetui Eucharistico praeficiat, Melitae proxime habendo, deputatur, tamquam Pontificis Legatus.

Vita functi viri clariores.

Die xxii mens. Martii MCMXIII, Romae diutino morbo confectus placide quiescit in Domino Purpuratus Pater

Petrus Respighi, Cardinalis in Urbe Vicarius, vir pientissimus ac virtuti simillimus. Bononiae natus erat d. xxii mens. Septembris MDCCXLIII; episc. Guastallen. creatus ann. MDCCXCII; ad Metropolitana Ferrarensim promotus ann. MDCCXCIV; in Sacrum Senatum cooptatus an. MDCCXCIX, annoque post Urbis Vicarius electus.

ANNALES

Balkanicum discrimen.

Alius iam pertransiit mensis, quum tamen illa pax, quae tam imminens videbatur, conclidi nequivérit. Etenim cetera Europae gubernia, quae in eam tam bona voluntate conspirant, superioribus eventibus edocta, non prius Turcicæ novae de sua intercessione rogationi assenserunt, quam hinc Turcarum administri inde Balkanici socii, non tantum rei definitionem omnem se ipsis tradere ultro profiterentur, sed suas cuiusque rationabiles in casu exspectationes exponerent. Quum vero Balkanicum foedus declarasset, se conflictus resolutionem magnarum Europæ civitatum studio libenter committere, dummodo tamen nonnullae condiciones servarentur, quae non certe, et Turcico imperio, et ipsis magnis Europæ civitatibus acceptabiles erant, responsum redigi oportuit, foederatis populis suadens, ut ab exaggeratis prætensionibus desisterent, praesertim de belli indemnitate, de finibus Bulgariae ad Midiam ac Rodosto producendis; de Scodra Montisnigri regno, de Aegei insulis Graeciae addicendis. Quin etiam, de Scodrae obsidione, tum Montisnigri tum Serbie rex moniti sunt de suorum conatum inutilitate, quum iam uno animo Scodrae possessio Albaniæ civitati decreta fuerit. Quum denique Montisnigri gubernium huiusmodi monita spernere apparuerit atque in suo proposito instare, ipsis monitis additae minae.

Rebus ita sese volventibus, transègit inutiliter tempus, armorum furor minime remissus est, et Adrianopolis urbs tandem in ditionem concessit. Hic revera fuit totius belli hucusque acti militaris item ac politicus eventus maximus; quamquam nunc influxum valde sensibilem circa discriminis solutionem allaturus non erit: nemo enim dubitabat, quin illius urbis possessio Bulgaris concedenda foret; neque est credendum Serbos, qui suam operam in Adrianopolis obsidionem, nec eam levem, contulerunt, postulata sua hodie aucturos, quum quaestio omnis in id iampridem reducta fuerit, ut de una aut altera finium via trans Adrianopolim consensus haberetur.

Speramus fore ut in proximo numero pacem, tandem tamque impense a cultis omnibus humanisque hominibus invocatam, enunciari tandem nobis liceat!

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** regali oratione nova sessio inaugurata, confirmataeque optimae Angliae cum ceteris populis rationes tum a rege ipso, tum deinceps ab Asquith et Churchill administris.

In **Gallia** quum senatus comitiorum reformationi a gubernio proposita suffragium negasset, Briand eiusque collegae ab officio se abdicarunt; novumque administratorum collegium suffectum, praeside Barthou.

In **Graecia** novus rex Constantinus coram populi legatis iuramentum fidelitatis regni legibus emisit.

In **Helvetia** conventio de Gothardo monte agitatur, legis rogationi, ab administris propositae, legatis natione Gallis acriter refragantibus.

In **Hungaria** lex de iure suffragii reformando tandem approbata.

In **Italia** disceptationes rationum accepti et expensi occasionem praebuerunt civilium et exterarum rerum administris firma proposita sua declarandi, magno legatorum plausu accepta.

PER ORBEM

Die II mens. Martii MCMXIII New-Castle ad urbem vaporitraha in curruum seriem electricide actorum Tynemouth profectam vehementer occurrit: viatores quatuor supra triginta gravibus vulneribus afficiuntur.

— d. iv Bircucae, Tripolitaniae in oppido, thermarum Romanarum reliquiae insignes reperiuntur.

— d. v Woodrowius Wilson, novus in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis rei publicae praeses, in imperii possessionem Washingtonii immittitur.

— d. vi Petropoli in urbe capite, atque per Russicum Imperium omne, centenaria tertia dies, ex quo Romanoff genus summam obtinuit in Russia potestatem, sollemniter peragitur.

Ad Heligoland sinus decussans navis Germanica, cui nomen *York* per noctis tenebras navem quandom torpedinibus iaciendis offendit atque submergit. Classiarii centuriones quatuor, militesque sexaginta sex misere pereunt.

— d. viii Baltimore in portu dynamitis pulveris acervi fortuito incenduntur, ingentiaque damna longe lateque circum perferunt.

— d. xii Guajimquilapa, Guatemalensis urbs, ingenti terra motu pessumdat.

— d. xiv Provencal, Luisianæ civitatis urbs, turbine subvertitur.

— d. xvi Lawson, Australiensis doctor, austrinarum regionum explorator, terram a se nuper repertam, ad centesimum primum longitudin's grandum productam atque a Georgio V rege nuncupatam, in Angliae dictionem redigit.

— d. xvii Georgius I, Graecorum rex, dum in urbe Thessalonica, recens suae ditioni armis subiecta, tranquille deambulat, ab insano quodam Alexandro Schinas, homine socialistarum factioni addicto, manuballistulae ictu nefarie interimitur. Strenuus comploratusque vir, Gulielmus nomine, e Danorum regia stirpe natus erat Copenaghen d. xxiv mens. Decembris MDCCXLV; ac d. xv mens. Octobris MDCCCLXVII uxorem duxerat Olgam Constantowna Romanow-Holstein-Gottorp, Magnam Imperialis Russicae stirpis Ducissam, a qua liberos sex accepit. Quinquagesimum nunc regni annum agebat, a nationali Graecorum coetu, iuxta conventionem d. v mens. Iunii MDCCCLXIII Londini a Gallia, Anglia et Russia firmatam, ipsi oblati, quod magna cum omnium laude tenuit. Ei succedit Constantinus filius, natu maximus, Spartae Dux, Athenis ortus d. ii mens. Augusti MDCCCLXVIII.

— d. xxi atrae procellae in nordica America, atque praecipue in Mississipi fluminis valle furunt, maxima tum rerum tum hominum ruina.

— d. xxii Bonilla, Honduras reipublicae praeses, Washingtonii obit.

— d. xxvi ex Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis regione Ohio nunciant, victimarum numerum ex saevientibus tempestatibus millia quinque illic superasse. Ad ruinam augendam inundationes sequuntur.

— d. xxix Schleiz, in castro ad Gera, supremum obit diem Henricus XIV, Reuss Germanici principatus dominus, Coburgi natus d. xxviii mens. Maii MDCCXXXII.

— d. xxx Spetiae in sinu, adstante Italorum rege et regina, loricata nova Italicae classis navis, cui ab «Andrea Doria» nomen, in mare immittitur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus; libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

CHRISTOPHORI M. ASSUMMA, Ecclesiae Metrop. Rhey. Can. Decani, *Carmina*. — Edidit Antoninus Assumma frater; curavit Can. Franciscus Quattrone. — Rheyii Iulii, ex off. Francisci Morello, MCMXIII. (Ven. lib. 2,50).

I. B. Menghini. *Echo Liturgica seu Decreta SS. Rituum Congregationis anno 1912 vulgata cum rerum indice ac notulis. — Romae edid. Desclée et Soc., MCMXIII* (Ven. lib. 0,60).

Ordo Divini Officii recitandi Missaeque celebrandae iuxta novum kalendarium Cleri Romani, additis-variationibus pro kalend. Eccles. Universalis pro anno MCMXIV. — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Card. A. CAPECELATRO. *Le virtù cristiane*. Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 3).

A. Eymieu. *Il governo di sè stesso*. Saggio di psicologia pratica. Unica traduzione italiana approvata

dall'autore sulla XXI edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 3,25).

A. STEEDMANN. *Piccola vita di Gesù per i fanciulli*. Traduzione dall'inglese di Maria Adelaide Colombo. — Indidem. (Ven. lib. 2).

AENIGMATA

I. (vulgo REBUS)
FlixE CORULAT IURRA

II.

Pellor et eiicio Ionas ut in aequora missus;
Saeva procellosi me tegit unda maris.

Me, quasi naufragio pereunte, concutit aequor;

Tutor ego lignum, dum furit unda freti.

Distinctus longusque meo de vertice pendet

Multiplici textus stamine funis, aquis.

Est tenuata meos species quae contegit artus,

Quos tu Tyrrenae Virginis ossa putas.

Hoc modo littoreis celatur corpus arenis;

In sabulis, strato corpore, pace fruor.

Nunc artus ego pigra meos compono sub umbris

Arboris expertis fructibus atque comis.

Spes hominum vitae nostro de stamine pendet;

Anxia, concusso stamine, corda rego.

Sollicitos animos atrox dum cura remordet,

Illorum torto consulto fune malis.

A. EPIRO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. XVI, n. I proposita his respondent:

I) Contus; Cous.

II) Ignis.

Ea rite soluta miserunt:

I. Ciolfi, *Papia*. — Petrus Tergestinus. — Ladisl. Thyssen, *Dresda*. — Iac. Costa, *Dumio*. — I. Ortiz, *Morelia*. — E. Burg, *Monac'io*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio* — F. Waver, *Marianopolis*. — Diomedes Falva, *Constantia*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — Raim. Silvan, *Londino*. — Rich. B'ondel, *Brugis*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — A. Tonelli, *Genua*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Nic. Lagumiua, *Panormo*. — F. X. M., *Drepano*. — P. Prado, *Venetis*. — Carm. Zlinczky, *Cracovia*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Vine. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli*. — Ad. Kožłowski, *Patricovia*.

Sortitus est praemium:

PAULUS PRADO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine verit IOANNES BATTANI).

SOCIS ET LECTORIBUS MONITUM

Kalendis Aprilibus MCMXIII Societatis Editricis Romanae Urbana Sedes translata est in

VIA DEL TRITONE, 46.

Huc igitur exinde conferatur quidquid **VOCIS URBIS** administrationem respiciet; quae vero ad redactionem spectant, mittenda semper erunt ad Moderatoris domicilium, **VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96**.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

7)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

IMPERATOR.

Es ille Christum qui sequuntur caput?

MELCHIAS.

Sum equidem! Merito glorior prae ceteris!
 Sciat simul Roma et imperator rescat
 Fateri certo Christi me discipulum,
 Imo omnium supremum esse Pontificem!
 Non erubescam, fatebor libentius,
 Pro quo paratus me mori in posterum.
 Civis romanus sum: quid est antiquitus
 « Fortiaque adversis opponere pectora rebus »?
 Nos autem Christi cives qui vocabimur
 Suae inhaerentes divae sapientiae,
 Superbe habemus, surgit si necessitas
 Fortia pro ipso pati et mori in vinculis.

IMPERATOR.

Tu qui sic iactas Christi te discipulum,
 Qui nominaris?

MELCHIAS.

Iam dixi antea: Nominor
 Ego Melchias!

IMPERATOR.

Nomen proditoris Melchias!
 Te nempe audivi praedicari saepius.
 Es ille vafer, celeber flagitiis,
 Sua qui decepit multos astutia?

MELCHIAS.

Egon vafer? Meos qui cives decipio?
 Deus sit ipse verbis testimonium.
 Loquar Romanis primum nunc in publico,
 Loquar, meus qui mos est, apertissime.
 Nihil peccavimus, Vetat religio!
 Nullum putamus qui violandum torum,
 Nos prohibemur qui convicia dicere,
 Et inimicis qui vel ipsis parcimus,
 Egenis opem large nos perfundimus,
 Furta damnamus, execramus turpia!
 Sumus tuis plexi, Maxenti, legibus,
 Sumus nos cives tibi execrables...
 Ubi est aequalitas laudanda civibus?
 Pro te, qui semper insecurus miseros,
 Tuis precamur Christum pro negotiis!

IMPERATOR.

Et hoc in bello?

MELCHIAS.

Adhuc sic nos tu iudicas?
 Pro te precamur, regnes in iustitia,
 Tuisque dones late pacem civibus!

IMPERATOR (ironice).

Novae sed litterae te accusant perfide!

MELCHIAS.

Meae nunc litterae quas scripsi? Nescio!

IMPERATOR.

Opem vocasti Constantini...

MELCHIAS.

Perperam!

Mali me accusant!

IMPERATOR.

Dabo post sententiam!

Eum post redditum servari iubeo.
 Eris diis nostris victima pulcherrima.
 Deorum spiritum irruisse sentio,
 Qui nos ad arma portat... ad victoriam!
 Vos, sacerdotes, interpretes caelestium,
 Deorum mentes aperite auguriis,
 Eos placate victimis egregiis.
 Obferte in primis plurimas placabiles
 Ex christianorum cruento infantium.
 Enim rescitis his placari maxime!
 Dux hostiarum, morte sit turpissima,
 Hic qui vocatur christianorum Pontifex.
 Ad arma, milites! Novum sit canticum,
 Certum Deorum quod nobis det auxilium!

MILITES (*proficiscentes canunt*):

« Sol qui fuisti patribus
 Securus aster gloriae
 Nobis refulge gravior,
 Hostes repelle in tenebras ».

IMPERATOR procedit, et ipsum sequuntur milites. Media
 in scena manet MELCHIAS inter aliquot milites. —
 Tunc undique in scenam proripiunt CIVES, chri-
 stiani et infideles, quibus maxime admirantibus
 alloquitur

MELCHIAS.

Deus dedisti maris Thiberiadis
 Olim qui pacem securam fluctibus,
 Tuae quietem tandem dona Ecclesiae,
 Quae tam laborat, suffert isto tempore;
 Velis si victimam, libenter immolar!

CHRISTIANI.

(submissa voce, ad sidera oculos levantes dicunt):

Spes omnis est in Christo nostra posita!
 Iesu, qui fulges inclytus,

Accende nostros spiritus,
 Pacem da maestis fratribus,
 Et solve nos de vineculis....

EXPLICIT ACTUS PRIMUS.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.